

VK  
2402



6. 96



6. 96, 17.

44



LECTOREM BENEVOLVM  
AD  
ORATIONEM  
DE  
ANNO MAGNO

A. D. XIII IANVAR. A. c19 1000XXV

AVDIENDAM

INVITAT

ET NVNC

DE

PRISCIS DOMINIS BVRGGRAVIISQ.  
LEISNICII OPIDI MISNIAE

NON NIHIL DISSERIT

CHRISTIANVS GOTL. SCHVVARZIVS.



TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. ALTORF. TYPOGR.

(N. XII.)

11.268.



LECTOREM BENEVOLEM

AD

ORATIONEM

DE

ANNONIA

ANNO DOMINI 1771

APRILIS

1771



FRANCIS DOMINUS  
LEIBNITZ

CHRISTIANUS GOTTSCHEWITZ

ALTISSIMO GOTTESDORF

(1771)





Um haud ita pridem orationi Academi-  
cae de fulminibus literatorum ordi-  
nibus praefarer; occasione aliunde da-  
ta, vitam egregii Mathematici, PETRI  
APIANI, *Leisnicensis Misnici*, breuiter  
exposui. Nunc libet de *priscis Dominis*  
*Burggrauis*que *Leisnicii* non nihil disse-  
rere. Neque enim id ipsum opidum, in Misnia, Dresenam  
inter et Lipsiam, ad Muldam fl. situm, uel antiquitate, uel fa-  
tis uariis, est ignobile: (a) inprimis autem saeculo post Chris-  
tum natum undecimo inclaruit; cum VIPERTO, uel *Wig-*  
*berto*, secundo eius nominis, *Comiti Saxonicae Gentis il-*  
*lustri*, (b) tanquam praemium eximiae uirtutis traderetur  
ab *Henrico III, Imperatore*. Hoc enim disertis uerbis com-  
memorat Monachus Pegauiensis, in *Vita huius Viperti*.  
*Proinde Imperator*, inquit, *Wigberto castellum, nomine LEIS-*  
*NICK*, cum plurimis adiacentibus, in proprietatem donauit;  
postmodum ad curiam in *Alstede* beneficium trecentorum  
talentorum, et *Dornburg* cum suis attinentiis. (c) Natus erat

A 2

hic

- (a) Equidem Dresserus, *Isagog. histor. de praecipuis Germaniae Urbibus*, p. 352;  
haec scribit: *Leisnium, Leisnig ad Muldam Freibergersem*; cuius nominis ue-  
tustas inde apparet, quod, imperante *Henrico Aucupe*, *Burggrauis* quidam *Leis-*  
*nicensis* nominatur, qui in praelio ad *Merseburgum*, anno Christi 933, operam  
nauarit. Verum, nomen et dignitas *Burggrauiorum* in tempora *Henrici Auc-*  
*upis* haud conuenire uidentur. Quod si uero uetusta et coaeva documenta  
respiciam, mihi hucusque nomen huius opidi non prius occurrit, quam, nisi  
fallor, in literis *Adalberti, Bremensis Metropolitanae Ecclesiae ArchiEpiscopi*,  
eiusque fratrum, *Dedonis et Friderici, Palatinorum Praesidum*, quibus A. 1101,  
111 *Cal. Octobr.* fundarunt dotaruntque *Monasterium Gozeense*. Ibi enim inter  
*Liberos*, adeoque respectae dignitatis uiros, tanquam testis nominatur *Fre-*  
*dericus de Liznec*. Vid. Auct. *Libri de Fundatione monasterii Gozeensis*, p. 211,  
qui *Chronico Montis Sereni*, a *Madero* edito, est adiectus.
- (b) Sic appellatur ab ipso *Paschale II*, Pontif. Rom. in literis A. 1101 datis,  
quae in *Vita Viperti* extant, cap. VII, §. 32. Praeterea, in *Chron. Abbatis*  
*Vissbergensis*, ad A. 1101, his ornatur elogiis: *Audierat interim Rex*, (*Henri-*  
*cus V*) *Patrem suum, apud Wigbertum, quendam illustrissimum et prudentis-*  
*simum uirum, qui partibus illis, quas Sorabi inhabitant, principabatur, esse reper-*  
*tum*. Eadem tradidit *Chron. S. Pantaleonis*, ad hunc annum.
- (c) Vid. *Vita Viperti*, inter *Scriptores rerum Lusaticarum*, ab *Hofmanno* editos,  
cap. IV, §. 19,

hic insignis sui aevi Heros ex *Viperto I*, et *Sigena*, filia *Gosvini, Comitis de Leige*. Auum paternum habuerat *VVolfum*, Pomeranorum Principem, et auiam, filiam Regis Daniae. (d) Paternae hereditatis nomine primum acceperat *regionem Balsamorum*; quam a fluuio *Balsamo* sic dictam, *Reineccius*, *Sagittarius*, et alii uiri eruditi, de *Marchia uetere*, et *terra Soltvedelensi*, interpretantur. (e) Hacuero deinceps, permutationis lege, cefferat *Vdoni, Marchioni Stadenfi*, fortasse cognato suo, a quo post immatura Patris fata liberaliter fuerat educatus; sed ita, ut ab hoc reciperet *Groiscam*, siue *Groizam*, ad Elstram fluuium sitam, item et alia beneficia ad *Nortmarchiam*, siue *Marchiam septentrionalem*, pertinentia. Multo autem maiora potentiae incrementa capiebat hic *Vipertus*, cum non solum *Iuditham*, (f) *VVratislai*, Regis Bohemiae filiam, domum duceret, duobus pagis, *Nisano et Budiffino*, (g) dotis loco acceptis, et urbe *Schvvarz*, h. e. interprete Brotuffio, *Geravia*, in praesidium uxoris suae condita: (h) sed etiam, cum ab *Adelgoto, Archiepisc. Magd.* cognato suo, A. c. lxxvi, *comitatum ac praefecturam Magdeburgensem*, clypeis, et *lxx talentis praeditam*, beneficiaria lege impetraret: (i) imo, mox etiam

- (d) in eadem *Vita*, cap. I, §. 8. et in libello de *Foundatione Coenobii Bigauiensis*, a Madero edito, p. 242. Haec igitur testimonia si sequimur, *Viperti* utique ex Danica uel Cimbrica gente sunt deducendi; non contemnendis tamen coniecturis cum *VVittichindea* stirpe cognati fuisse uidentur.
- (e) *Reiner. Reineccius*, in *Annotationibus breuibus ad Vitam Viperti Groicenfis*, §. VI et VII. *Sagittarius*, in *Historia Marchiae Soltvedelensis*, §. XXII. *Bangertus*, in *notis ad Helmoldi Chron. Slauorum*, Lib. I, cap. 88, ubi mentio fit terrae, quae dicitur *Balsemerlande*. *Dn. Bergerus*, in *Originibus Marchiae Brandenburgicae*, §. 33.
- (f) De huius Coniugis nomine quae mouentur dubia, dextre expeditiit *V. CL. Strunzius*, in eruditis disquisitionibus de duobus antiquis Saxoniae Pagis, *Nisani ac Daleminci*, p. 18.
- (g) de his pagis modo citatas disquisitiones adire licet.
- (h) Haec referuntur ex *Monacho Pegauensi*.
- (i) Haec enarrat auctor *Vitae Viperti*. Paria legimus in *Chronico Bigauensi*, ad A. 1124, p. 256: *VVicpertus, Marebio, fundator Coenobii Bigauiensis*, A.

etiam *Marchiam Lusatiae*, ab Imperatore duobus millibus talentorum redimeret; ac denique, anno c l o c x x i i i, etiam *Marchiam Misniae*, una cum Hermanno, Comite de *VVinciburg*, licet non sine interpellatione aliorum Saxoniae Principum, adipisceretur. (k) Vipertus autem hic II, post Ducis Bohemiae filiam, A. c l o c v i i i mortuam, uotis secundis secum coniunxerat *Cunigundam*, filiam Comitis *Orlamundani*, quae primum Regi *Rufforum*, deinde *Cononi, Comiti Beichlingensi*, nupserat. (l) Ex priore autem uxore, filia Ducis Bohemiae, procreauerat *Vipertum III, Henricum, et Bertbam*. (m) Cum *Henricus V, Imperator, bel-*

A 3 lum

1124, obiit, XI Kal. Iunii. Hic inualuerat praediis et beneficiis, in provincia nostra, quae *Sarorbia* (*Sorabia*) dicitur. *Monarchiam* (*Marchiam*) quoque in *Luziz* (*Lusatia*) et *Praefecturam* in *Magdeborch* principalem, obtinuerat. Conf. *Annalisa Saxo*, ad A. 1118. Inde et in *Roggeri, Archiepiscopi Magdeburgensis*, literis, anno 1121, Nonis Iunii, datis, inter testes scribitur: *VVIPERTVS, Comes, et Ecclesiae nostrae* (*Magdeb.*) *ADVOCATVS*. Vid. *Dn. Ludeviggii T. V Reliqu. diplom. p. 68.*

(k) Sic scribit *Annalisa Saxo*, ad A. 1126: *Imperator Marchiam in Misne VViperto tradit. Dux Liuderus cum aliis Principibus super hoc indignantibus suscipit bellum. Huc pertinent et haec uerba ex Vita Viperti, cap. XI, §. 29: Henricus, Marchio Iunior (de Heburg) obiit A. 1123; pro quo Imp. Henricus binos Marchiones constituit, VVipertum Praediuitem, et Hermannum de VVinciburg, etc.* Conf. *Cosmas Pragensis, ad A. 1123, Libr. III Chron.*

(l) De hoc matrimonio ista tradit *Chronicon Pigauense*, ad A. 1110, p. 249: *Posthaec Dominus Comes VVipertus aliam duxit uxorem, relictam scilicet Cunonis Principis de Bichlinge, nomine Cunigundam.* Conf. auctor *Vitae Viperti, cap. IX, §. 1.* Plura de ista *Cunigunda* habet *Annalisa Saxo*, ad A. 1072, p. 497. *Habuit autem, inquit, Otto de Orlagemunde (Marchio Misniae, filius VVilhelmi, Comitis VVimariensis) uxorem, nomine Adelam, de Brabantia, ex Castello, quod Lovene dicitur, quae peperit ei tres filias, Odam, Cunigundam, Adelheidam. — Cunigunda nupsit Regi Ruzorum, genuitque filiam, quam nobilis quidam de Thuringia, Guntherus nomine, accepit: post cuius mortem reuersa in patriam coniuncta est Cononi, Comiti de Bichlinge, filio Ducis Ottonis de Northeim, genuitque illi quatuor filias; quo item defuncto, VVIPERTVS senior, tertius (scil. maritus) eam desponsauit.*

(m) Hos tres Viperti II liberos designat *Chron. Pigau. p. 246.* *Cosmas autem Pragensis, Chron. L. III, p. 61, nominat filium Viperti VVenceslaum. Filius autem Viperti, inquit, VVenceslaus, ueniebat in auxilium Boriuorio. Vnde Henningefus forte tertium Viperti II filium, VVratisslaum, finxit; sed cum Pragensis ea tribuat VVenceslao, quae secundum alios scriptores conueniunt in Vipertum III; credibile est, huic Vipertum III fuisse binominem.*

lum gereret aduersus Bohemos, a quorum partibus tunc stabant Vipertus II, et eius filius, Vipertus III; hic ipse filius captus est ab Imperatore; neque eum pater recipere potuit, nisi Budissino et Nisano, pagis, itemque *Leisnicio* ac *Morunga*, ciuitatibus, Imperatori redimendi causa traditis. Quas tamen regiones atque urbes Vipertus ille III, anno clo c x v i, in bello Principum Saxoniae aduersus Henricum V, fortiter recuperauit. Quamuis autem *Vipertus III* cetera felix esset paternarum uirtutum aemulus, et in matrimonio haberet *Cunigundam*, nouercae suae filiam, ex *Comite Beichlingensi* prognatam; (n) fata tamen suprema Patris anteuertit, iam anno clo c x x i uita defunctus. Sed ipso Patre, *Viperto II*, duobus post annis rebus humanis erepto, *Henricus*, filius natu minor, hereditatem paternam creuit, praeterquam *Marchiam Misnensem*, quae uiuo adhuc Patri ab aemulis Principibus rursus erat erepta. (o) Cum uero et hic anno clo c x x x v i diem suum obiisset; superstes adhuc erat eius soror Germana, *Bertha*; quae conuenerat in manum *Comitis Dedonis V*, conditoris *Coenobii Montis Sereni*, filii *Thiemonis*, *Buziciae* propaginis, fratris *Conradi*, *Misnensis* atque *Orientalis Marchionis*. De quo matrimonio, in *Appendice ad Chronicon Montis Sereni*, haec referuntur: *DEDO, filius Thiemonis, duxit uxorem, BERTHAM, filiam*

(n) Vid. Chron. Pigau. p. 249. *VVipertus* (II.) uxoris suae (*Cunigundae*) filiam eiusdem nominis filio suo *VViperto* desponsat. Celebrarunt ergo nuptias simul binas. *Annalista Saxo*, ad A. 1103, p. 599: *Cunigunda, filia Ottonis Marchionis de Orlagemunde, primum nupserat Regi de Ruzia. — Genuit post haec ex Conone Comite (de Beichlinge) quatuor filias; ex quibus — quarta, Cunigunda nominata, sicut mater (VViperto seniori), nupsit VViperto iuniori; quo defuncto accepit eam Thioppoldus, Marchio de Bavaria (Vohburgenfis propaginis).* Senior autem *VVipertus* desponsauit matrem illorum tertius.

(o) Imo et de *Marchia Lusatiae* haec tradit *Chronicon Pigauense*, p. 258: *Ibi Adelbertus, Marchio de Saxonia, deponitur, et Henricus, filius VViperti, pro eo Marchio in Lusatia constituitur; qui hucusque ab Adelberto exclusus fuerat uolenter. Consentit Annalista Saxo, ad annum clo c x x x i. Henricus, inquit, Magdeburgensis Praefectus, filius VVicberti, Marchionis, Marchiam, quam Patre suo defuncto, Adalbertus de Ballenstad a Rege acquisuerat, legali iure recepit. Conf. Auctor *Annalium Bosouientum*, ad eundem annum, p. 1009.*



filiam VVIPERTI DE GROIZSCH; genuitque ex ea filiam, nomine MACHILDEM; quae nupsit COMITI RABODONI, Bambergensi Aduocato. Quis uero fuerit eo tempore ille Rabodo, cognoscimus ex Diplomate Friderici I, Imperatoris, anno clo clx dato, in quo haec legimus: *Fidelis Imperii nostri, RAPOTO de Abensberg, Aduocatus Burgi Bambergensis, Ecclesiae beneficio Comes in Rangouwe.* (p) Quemadmodum uero, cum Henricus, Praefectus Magdeburgensis, et *Marchio Lusatae*, anno clo cxxxvi, sine liberis moreretur; ei in praefectura Magdeburgensi successit *Burcardus, Comes Quedlinburgensis*; et *Marchiam Lusatae*, atque alia quaedam Henrici bona, concedente Lothario, Imperatore, obtinuit *Conradus, Marchio Misniae, Frater Dedonis V*: (q) ita *Bertha* paullo ante memorata, *allodia*, (inter quae *Altenburgensis* et *Groitschensis Comitatus*, item *Castellum Leisnicense* atque *Coldicense* fuit,) tunc tenuisse uidetur. Sicuti enim

(p) Hoc diploma exhibetur *T. I Scriptorum rerum Bambergensium*, p. 1226. Sic et *VVig. Hundius, T. I des Bayerischen Stammbaums* p. 2, docet, huic *Rabodoni, Comiti Abensbergensi*, et *Aduocato Bambergensi*, fuisse uxorem *Matildam* dictam. Hunc nexum ab aliis antehac in *Genealogia Vipertorum* observatum fuisse, haud deprehendi.

(q) Id expresse testatur *Chronicon Montis Sereni*, p. 14. *Henricus, Marchio, et Magdeburgensis Praefectus, filius VVIPerti, ad curiam pergens Moguntiae, XI Kal. Ian. A. clo cxxxvi*, moritur: cui in comitatu *Magdeburgensi* successit *Burcardus, frater ArchiEpiscopi: Marchiam uero Lusatae, quae nunc orientalis dicitur, Imperator Conrado, Marchioni Misnensi, concessit*; qui etiam totius proprietatis heres factus est; *QVIA ALIUM HEREDEM NON HABUIT*. Et in *Appendice Chronici Montis Sereni*, p. 206: *Henrico, Marchione, SINE HEREDE mortuo, A. 1135, II Kal. Ian. Imperator Marchiam eius, quae orientalis dicitur, Conrado Marchioni concessit*; cui etiam *Misnensem* prius concesserat. Unde mirum est, quomodo *Heuningesius*, et alii *Genealogiae* conditores, huic *Henrico, Viperti II filio*, filios heredesque superstitibus tribuerint? Quod si uero *Vipertorum stirps* mox in *Henrico illo, Viperti III fratre*, defecit; crediderim, inelytam *Ranzoniorum* gentem non tam prouenisse a posteritate *Vipertorum*, quae cum *Henrico, sine herede defuncto*, exspiraret; quam ab *ipsorum maioribus*, qui antea floruerant in *Holsatia*. Atque adeo mihi suspicio est, nomen et dignitatem *Praefectorum ac Buregrauiorum Leisnicensium*, posthaec in alia, eaque fortasse peruetusta *Mildensteiniorum* gente, hereditario iure haesisse; a quibus *arz, Leisnicensis nomen Mildenstein* traxisse uidetur.

enim ab ea *Comitatus Groitschenfis* donatus est *DEDONI VI, Comiti Rochlicensi, Conradi Marchionis Misnensis, filio; (r)* sic credibile est, patrimonium in terra Plisnensi, h. e. *comitatum Altenburgensem, itemque castrum Leisnicense, atque Coldicense, et alia quaedam bona, ab eadem transiisse ad MACHTILDEM, filiam suam, ex Dedone V natam, neptem Viperiti II, uxorem Rabodonis, Comitis Abensbergenfis, et Aduocati Bambergensis. A Rabodone enim Comite, ea loca postea redemit, et sibi imperioque uindicauit FRIDERICVS I, Imperator. Cuius rei idoneum testem habemus Arnoldum, Abbatem Lubecensem, Libr. VII Chron. Slauiorum, cap. 18. Anno dñi ccix, inquit, indicta est Curia in Altenburg, quae alio nomine Plisne nuncupatur; ubi etiam ingens patrimonium Imperator (OTTO 1111) possedit Comitis Rabodonis, cum castro LEISNICK et Coldiz, quod FRIDERICVS, Imperator, quingentis Marcis a Comite memorato comparauit. Tunc igitur Leisnicium, tanquam castrum imperiale, Imperatori et Imperio *Слѣвѣнскѣ* subditum, neque nisi per Praefectos certos, quos *Burggrauios* uocant, gubernatum fuit. (s) Et quamquam animaduertamus, iam anno dñi cc, *Indictione**

(r) Haec discimus ex Chronico Montis Sereni, p. 18: Anno 1144 obiit Berta, Comitissa, uxor Dedonis Comitis, Fratris Conradi, Misnensis et orientalis Marchionis, XV Kal. Iunii. Haec proprietatem suam, Groitsch, dedit Dedoni, filio praedicti Marchionis, quem ipsa loco filii enutrierat. Eadem repetuntur in Appendice Chronici Montis Sereni, p. 206.

(s) Huius generis Praefectus commemoratur in Friderici I, Imperatoris, diplomate A. 1174 dato; quod extat in Dn. Ludvigii T. I Reliqu. Diplom. p. 13; ubi inter testes legitur: HENRICVS, PRAEFECTVS DE LIZNIC. Sic et in formula conuentionis, quae exhibetur in Maderi Antiquitatibus Brunsvicensibus, p. 125, GERHARDVS, Burggravius de Liznic, et ALBERTVS, Burggravius de Aldenburg, referuntur inter eos, qui A. 1212 pro OTTONE IV, Imperatore, cum THEODORICO, Marchione Misniae et orientali, pacifcente, fidei iusserunt. Vnde facile colligas, Burggrauios Leisnicenses tunc inter Imperatoris et Imperii ministeriales fuisse. Praeterea, anno 1235, in priuilegio, Monasterio Dobirlucensi ab Henrico, Marchione Misniae, dato, testis loco nominatur ALBERO, Burggravius in Lyznik. Vid. Dn. Ludvigii T. I Reliqu. Diplom. p. 53. Etiam anno 1268, Dominus THIMO de Lijnic diserte inter Imperii ministeriales com-

dictione III, VI Calend. Maias, ubi DITERICVS, Marchio Misnensis, Ordines prouinciales conuocauerat Colmizium, prope Oschazium; isti conuentui simul interfuisse Henricum, Burggrauium de Leisnic, et Thammonem, Burggrauium, de Strela, Leisnicensis propaginis; (1) eos tamen tunc non tam Leisnicii, quam aliorum praediorum, in Misnia sistorum, causa, inter Ordines et Status Marchionatus Misnensis fuisse, crediderim. Quando autem et quomodo Burggrauiatu Leisnicensis cum Marchionatu Misnensi arctius coniungi coeperit; non habeo, quod nunc strictius definiam. (u) Ceterum, ista Burggrauiorum Leisnicensium digni-

B

commemoratur, in antiquo documento, quod euulgauit Dn. Struuius, P. IV Archiui, p. 291. Anno 1306, ALBERO, Burggrauius Leisnicensis, Monasterio Dobirlucensi, iura sua, quae habuerat in Arnaldsbain, Lichtenau, et Pazez, donauit, his uerbis formulam donationis exorsus: Nos ALBERO, DEI gratia Burggrauius de Lyznik, omnibus Christi fidelibus, presentem literam inscribitur, in perpetuum. — Acta sunt haec in Lyznik, anno Domini MCCCVI, etc. Vid. Dn. Ludvvigii Reliqu. Diplom. T. I, p. 248. Praeterea nunc tot alia Burggrauiorum Leisnicensium nomina, in uariis documentis diplomatibusque obuia. Quorum Genealogiam contexit, et cum illustri Ranzouiorum stemmate coniunxit Hieronymus Henninges, in Genealogiis aliquot Familiarum nobilium in Saxonia; sed, qui mos illius temporis erat, sine ullis testimoniis et probationibus. Ante hunc etiam Petrus Albinus ex instituto Genealogiam Comitum Leisnicensium, a maioribus Viperti illius bellicosi Comitis Groicensis deductam, descripsit; qui libellus manuscriptus extat in praestantissima Bibliotheca Menckeniana; quem uero uidere nobis nondum contigit. Adhaec Sebastianus Mayer eos maxime Burggrauios Leisnicenses recensuit, qui Penicij, opido Misniae propter Moldam Chemnicensem sito, resederunt; quam designationem euulgauit Dn. Struuius, P. I Archiui, p. 125, et seqq. Haec igitur historia et genealogia Burggrauiorum Leisnicensium non parum adhuc poterit illustrari.

(f) Vid. Anton. VVeckii Chronicon Dresdensis, p. 435.

(u) Non possum, quin interea huc ea referam, quae narrat Zeilerus, in Topographia superioris Saxoniae et Misniae, p. 21, ubi de Altenburgo agit: Folgende bekam Landgraff Albrecht in Thüringen, und Marggraff in Meissen, Friderici des Freudigen Vater, mit seiner Gemahlin, Frau Margareth, Keyser Friedrich des andern Tochter, das Schloß und Burggraffthum zu Altenburg; item, die Landtschaft zu Pleißen, und die Vogteyen zu Leisnig und Colditz; war aber gegen seine Kinder ein rechter Stiefvater, und verkauffte diß Land wieder Adolffo, dem Kayser; dabey besagter sein Sohn deswegen mit Ime, dem Keyser, auch hernach mit dem Keyser Alberto, kriegen mußte. etc. Clarius et plenius ea res intelligeretur, si integrum haberemus diploma Henrici Marchionis, Patris Alberti

dignitas, si forte non statim sub *Friderico I*, proximisque *Imperatoribus*, fuerit hereditaria, deinceps tamen in una stirpe perpetuo haesit, et fere usque ad mediū saeculi decimi sexti tempora feliciter floruit; ubi tandem, anno cōlo xxxviii, defecit in *Hugone, Burggrauiō Leisnicii, et Domino Penicii*, qui *Alberto Animoso, et Georgio*, Ducibus Saxoniae, strenuam in militia nauauerat operam. (\*) Tempore belli Germanici Leisnecium haud secus, ac Heiburgum et Coldicum, sibi asseruisse perhibetur Rex Ferdinandus; propterea, quod ad beneficiaria Bohemiae iura pertinere, et, propter proscriptionem *Iohannis Friderici, Pr. Electoris*, dominium omne ad se recidisse, diceret: at Mauricius Saxo, quod in medio *Ducatu suo* sita opida essent, facta permutationis ratione, *Ducatum Saganensem*, aliaque bona, pro iis tradidit Ferdinando. (†) Atque adeo in hunc usque diem sub potestate et tutela POTENTISS. REG. AC PR. ELECTOR. SAXONIAE feliciter requiescit, floretque, Leisnecium; et ut perpetuo floreat, perinde ac amor erga patriam meam iubet, ex animo precor.

Verum,

Alberti Degeneris; cui Alberto Margaretha, Friderici II, Imperatoris, filia, nuptum erat collocata. Huic enim dotis loco data fuit terra Plissenfis. Interim fragmentum illius Diplomatis, prout id ex schedis Hordtlerianis exhibuit Tenzelius, *Supplemento II Historiae Gothanae*, p. 626, hoc loco repetendum duximus: *Henricus, Dei gratia Mysenensis ac orientalis Marchio, et Thuringorum Lantergrauus, et Saxonie Comes Palatinus, et terre Plissenfis Dominus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cum per gloriosissimam Dominum nostrum, FRIDERICVM, Romanorum Imperatorem, in obsequio decem millium marcarum argenti, ratione sponsalicii, filie suae Margarethe, filio nostro Alberto desponsate, adepti sumus dominium Plissenfis terre, ipsam etiam gubernare, et quoslibet in ea degentes, secundum quod nobis iniunctum est, etiam suo iure uolumus conseruare. Hinc est, etc. — Acta sunt haec omnia MCCXLVI, Indictione IV, regnante Domino Friderico secundo. An igitur ad istam dotem etiam Praefectura, siue Burggrauatus Leisnecensis, pertinuerit, quod tradit Zeilerus, ex hoc fragmento non satis determinare possumus: interim tamen uix est, cur uerisimili narrationi Zeileri nunc refragemur.*

(\*) Vid. Dn. Strauuii P. I *Arebiui*, p. 175.

(†) Vid. Dresser. P. V *Isag. Histor. de praecipuis Germaniae Urbibus*, p. 352.

Verum, iam ad id uenio, cuius caussa potissimum hanc breuem dissertationem institui. Orationem enim de anno magno, ex philosophorum populorumque uariorum rationibus computato, recitaturus est uir iuuenis pereximius et ingenii uirtutisque laude commendatissimus, CHRISTOPHORVS SIGISMVNDVS LOEHNER, Norimbergensis: qui recto laudabilique consilio ad praeclara quaeque enitur, neque, nisi politioris humanitatis praesidio probe instructus, altiores disciplinas aggrediendas duxit. Daturus ergo publicum quoddam industriae suae specimen, has dicendi partes prompto alacrique animo suscepit. Quare VENERANDOS ACADEMIAE PATRES, item et CIVES generosissimos nobilissimosque, ac quicumque liberalium et humaniorum literarum studia non fastidiunt, oro rogoque, ut cras, hora I postmeridiana, dato Campani aeris signo, ad audiendum Loehnerum haud grauatim conueniant, et honorifica praesentia sua aliorum etiam animos ad colendum hoc studiorum genus excitent.

Ad extremum, DEVM IMMORTALEM, auctorem et custodem salutis publicae, pie ueneramur, ut et in hoc anno, quem nuper auspicato sumus ingressi, nobis uolens propitius adsit, et uti Rei Christianae ac literariae in uniuersum, ita sigillatim inclytae REIPUBLICAE NORIMBERGENSI, ac, sub huius praesidio, Musis nostris Altorfinis, pacata semper tempora et omne felicitatis genus benignissime impertiatur.

---

P. P. D. XII IAN. A. R. S. c1o10ccXXV.

**STEMMA VIPERTORVM, COMITVM GROIZENSIVM, etc.**

ex Monachi Pegauensis aliorumque ueterum testimoniiis  
chartae uacuae explendae caussa delineatum.

**FRATRES :**

Emelricus, Rex Teutuniae. Herlibo, Brandeburgensis. Dietmarus, Verdunensis.

Emelricus. Herlibo. Vridelo.  
Vxor, fil. Regis de Vrvveghe.

VVolfus, Pomeranorum Princeps, etc. Zuentibor.  
Vx. filia Regis Danor.

Otto, per bellum expul-  
sus e Dania cum  
fratribus, abiit in  
Graeciam. Hermannus, abiit  
in Russiam. Vipertus I, heres regionis Balfamorum.  
Vx. Sygena, filia Goswini, Com. de  
Leige; uidua nupfit Friderico, Com. de  
Lengenfeld.

Vipertus II, Comes Groizensis,  
Dn. Leinicii, Nifani, Budis-  
fni, etc. Praefectus Magdeb,  
Marchio Lusatiae et Misniae. Filia anon.  
Vxor Henrici de Leige. Fil. anon.  
Vxor VVernerii  
de Veltheim.

† 1124.  
Vxor I. Iuditha, filia Regis Bohem. † 1107.  
2. ab A. 1110, Cunigunda, fil. Ottonis,  
Com. Orlamund., uidua Cunonis,  
Com. de Bichilinge.

VVernerus Iun. Adelgotus, ArchiEp.  
Magdeb.

Vipertus III, paucis annis ante patrem mortuus.  
Vxor, ab A. 1110, Cunigunda, fil. Cunonis,  
Comitis de Bichilinge; postea uidua nupfit  
Thiepoldo, Marchioni de Bauaria.

Henricus, Marchio Lusatiae,  
Burggrau. Magdeb. Sine  
herede mortuus A. 1136.

Bertha, † 1143.  
Coniux Dedonis V.  
Machtildis, uxor Rabo-  
donis, Com. Abens-  
bergensis, et Aduo-  
cati Bambergensis.

STEMMA VIPERTORVM, COMITVM GROIZENSIVM, etc.



PK. 2402 PK

m





ULB Halle

3

005 305 039



m







6.96,17.

74

Vk  
2402

LECTOREM BENEVOLVM  
AD  
ORATIONEM  
DE  
ANNO MAGNO

A. D. XIII IANUAR. A. c19 lcccXXV  
AVDIENDAM  
INVITAT  
ET NVNC  
DE

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

PRISCIS DOMINIS BVRGGRAVIISQ.  
LEISNICII OPIDI MISNIAE  
NON NIHIL DISSERIT  
CHRISTIANVS GOTL. SCHVVARZIVS.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. ALTORF. TYPOGR.  
(N. XII.)

11.268

